

Dionys.
Carth.

in consortium regni. Sed hunc honorem, rex, idem vero *filius*, habuit *matri*. Ipse in suo sedit throno, thronumque illum regni sibi habuit. Etiam dexter ille locus, tanquam honoratior, sine relatione ad sinistrum, ut minus honoratum, concipiendus non est. Habuit & Salomon rex, & thronus regius dextram & sinistram, dextrum locum, sinistrumque. Neminem habuerit Salomon ad sinistram sedentem, at multos stantes, ad nutum regium intentos, & hos præ aliis honoratos. Sederit Salomon solus cum matre, non tamen hæc cum eo, ut rege, sedit, neque cum rege in throno ejus. Sedere ergo ad dextram iussit, quia aliis omnibus hanc, ceu matrem, prætulit. Dionysius Carthusianus Enarration. in I. Reg. II. commentatur: Et surrexit rex in occursum ejus) *matrem suam tam fidelem honorans. Adoravitque eam) adoratione dulci, quæ debetur parentibus, quibus a prole non potest reddi æquivalens. Et quamvis Salomon, in quantum REX fuit matre sua SUPERIOR, tamen, in quantum FILIUS ejus, fuit ea INFERIOR. Et sedit super thronum ejus) quia ad modicum tempus fecit eam super thronum suum sedere, quousque poneretur ei sedes juxta solium suum. Positusque est) a ministris. Thronus matri regis, quæ sedit ad dextram ejus) quia sic eam voluit honorare.* Quæ interpretatio Carthusiani inter Salomonem ut regem, & filium, distinguit, honoremque matri exhibitum, ad eum, ut Filium, refert, in qua comparatione, & per consequens in ejus etiam honoris exhibitione, qua matrem collocavit a dextris, Salomonem, ut filium, matre facit inferiorem. Quomodo igitur, si hoc applicas exemplum, Christus ad dextram Patris sedens, proximum a Patre, atque adeo inferiorem, honorem habet? Id vero somnium est Dionysii, fingentis, Salomonem *ad modicum tempus fecisse matrem super thronum suum sedere, quousque poneretur ei sedes juxta solium suum.* Somnium ab omni textus circumstantia alienum. Forte fefellit virum versio, quam usurpavit: *Et sedit super thronum ejus:* hoc sensu accepta: *Et sedit* sc. Bathsaba, *super thronum ejus,* sc. regis Salomonis, filii. Vulgata tamen versio habet: *Et sedit super thronum suum.* Quæ ambiguitatem istam tollit. Etiam ipsius absurditas rei, istum sensum poterat excludere. Numquid enim stetit interea, & expectavit rex, dum poneretur matri sella? Num e throno, in quem ascen-

ascen-